344

D. JACOBO GRYNÆO D. P. 1596.

[2731]

Salutem. Opportunè advenit nepos tuus, Vir clarissime frater in Domino Reverende, adeò ut velœnius diei nostra suspensura fuisset ejus receptionem. Nam pridie ejus dimissus erat è nostro Collegio quidam, qui Romā è collegio Jesuitico detestatus Romanam idolomaniam et Jesuitarum sectam ante semestre ad nos venerat, et hùc usque in Collegio nostro vixerat. Placet adolescentis ingenium et liberalis indoles. Lectiones ei assignavi binas Philosophicas, Physicam nempè cum Sphaericā: et totidem Theologicas, quas ad tempus conjungat. Solemus enim nostros, quorum ingenia sic ferunt, in Philosophicis aliquantisper detinere, ut adminicula necessaria ad sacram Palladem postmodum afferant, cum quā demum Hebrææ etiam Linguæ studium conjungunt. Hac viā si et tuum Casparum deducam, nec tibi id improbatum iri, nec ipsi infructuosum futurum confido. Illustrissimus noster à quinto iduum Januarij in Bavaris nunc hibernat cum universā aulā. Nostri scribunt, de politicis negotiis feliciter cum Marchione transactum ac perventum Neagoram, gratulantibus subditis. De emendatione Ecclesiæ etsi parum videatur sperandum tam exulceratis rebus: tamen sperare non desisto, quod precibus jugiter haud dubiè tu meum contendis à Deo, qui corda dirigit quando et quibus vult pro εὐδοκίᾳ suā. Ἀλάστωρ ille Huberus, postquam littora Baltica

perreptavit, neq; Patronos errorum suorum invenit, ad Fraterculos Tubingenses se convertit, sed citò inde jussus abire cum ἐφοδίῳ, Durlaci veniâ Marchionis mensem unum hæsit; inde Spiram transiit, ubi nunc latet in diversorio lupi piscis. D. Quiring hominem adiit et totis horis quatuor controversias cum eo tractavit. Ita cicuratum ait exilio, ut nemo hoc homine humanior et demissior; placidè omnia audivisse, respondisse, tolerâsse sine stomacho, nihil tamen de erroribus remittere voluisse. Augurat[ur], ni tandem à suis clementius habeatur, vel ad nos rediturum desperatione vel in Pontificiorum castra transiturum. Haccine verò illa Helvetica juvenca, cujus [...] atum nuper ex ponte Albidos universa Germania ex[...] diebat? Quis Dei manum in vanissimo hoc homine non videat? Sed utetur Deus haud dubiè ulterius ejus pr[...] terviâ ad vexandos et confundendos illos Saducæos fratres qui pridem eum nobis pro Gorgone ostentabant. Palam accusat Wittebergenses et Tubingenses, quòd in uni[us] Sophistæ Hunnij gratiam mutârint doctrinam. Sed mitto istum. Doleo a D. Danæum Ecclesiæ ereptum, D. Polanum afflictâ valetudine uti in Moravia, ex fratre Valerio nuper cognovi. Optarim ei firmiorem habitudinem pro egregiâ doctrinâ et pietate, quâ præ multis pollet. Te Amice honorande cum Tuis opto εὐ[...] ῥωμένως habere, et diu servari Ecclesiæ sanctissimo ministerio. Vale in Domino Heidelbergæ 5. Februarij 1596.

D. Jacobo